



# **Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum**

**Simonnet, Edmond**

**Venetiis, 1731**

Disputatio III. De libero & necessario.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

aria est; unde emissio sagittæ nullo modo imputari potest quoad hanc circumstantiam; neque, qui sagittam emisit, censeri potest reus homicidii; licet ita sit habitualiter affectus, ut illud, sublata ignorantia, admitteret. Quod non faceret is, qui agit ex ignorantia, & emittit sagittam in talem locum, quia ignorat illac amicum transire.

## RESPONSIO III.

Actio, quæ sit ex ignorantia consequente, hoc est, ex ignorantia quæ est effectus voluntatis, & quæ proinde dici non potest nisi secundum quid antecedens, est actu voluntaria in se quoad substantiam, & actu voluntaria quoad circumstantias ignoratas, non in se, sed in alio.

*Prob.* Et i. quidem quoddam actu sit voluntaria in se quoad substantiam, non habet difficultatem: omnis enim actus sive elicitus, sive imperatus voluntatis, est actu voluntarius in se, saltem quoad substantiam. 2. Quoad circumstantias ignoratas non est voluntaria in se. Nam illud nec est, nec potest esse voluntarium in se, quod non est actu cognitum; & consequenter circumstantiæ, quæ actu ignorantur, nec sunt, nec possunt esse voluntariæ in se. 3. Quoad circumstantias illas est voluntaria in alio, nempe vel in formali & expressa voluntate non sciendi, si ignorantia est affectata, vel saltem in sciendi negligentia, si ignorantia non est affectata.

Fortasse expeditius diceretur actionem, factam ex ignorantia consequente, in se voluntariam esse non solum quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantias ignoratas, formaliter quidem & physicè quoad substantiam, quatenus ipsa sit ex actuali cognitione prævia; quoad circumstantias verò ignoratas æquivalenter & moraliter, quatenus circumstantiæ culpabiliter ignoratæ, perinde se habent in æstimatione prudenti in ordine ad imputabilitatem, licet quandoque non tantam, ac si essent actu cognitæ, & ita formaliter & physicè in se voluntariæ. Itaque si quis, non adhibita sufficienti diligentia, emittat sagittam in locum, quæ solent homines transire, & occidat amicum transeuntem, emissio sagittæ est actu voluntaria non solum quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantiam occisionis ignoratam; in se quidem quoad substantiam, & in alio quoad circumstantiam occisionis: vel, si vis, quoad utrumque voluntaria est in se; formaliter quidem & physicè quoad substantiam, æquivalenter verò & moraliter quoad circumstantiam occisionis. Unde qui sagittam emisit, reus est homicidii.

Idem à fortiori dicendum est de actione, quæ sit, non ex, sed cum ignorantia consequente, & quæ proinde non solum habitu, sed etiam actu voluntaria est quoad circumstantias ignoratas vel saltem in alio, vel etiam in se æquivalenter & moraliter. Hinc, si si quis, non adhibita sufficienti diligentia, emittat sagittam in locum, quæ solent homines transire, & occidat inimicum transeuntem, quem quærit ad necem, reus est homicidii, quia circumstantia occisionis est illi non solum habitu, sed etiam actu voluntaria; vel in alio, quatenus aut non vult, aut negligit scire; vel etiam in se æquivalenter & moraliter, quatenus qui culpabiliter ignorat, perinde se habet in æstimatione prudenti, ac si actu sciret, & morali iudicio censetur actu scire, proindeque quod facit ex, aut cum ignorantia culpabili, morali iudicio & prudenti æstimatione censetur illud facere ex, aut cum actuali scientia.

*Quæritur*, quid sentiendum sit de actione, quæ sit ex actuali inadvertentia malitiæ, quam operans habitualiter novit. *R.* actionem illam esse voluntariam in se quoad substantiam, & quoad circumstantiam malitiæ habitualiter notam, sed actu inconsideratam, quia operans aut non vult, aut negligit considerare; voluntariam in alio, nempe in ipsa inadvertentia, directè vel saltem indirectè volita: vel, si vis, actionem illam in se voluntariam esse & quoad substantiam & quoad circumstantiam malitiæ; formaliter

quidem & physicè quoad substantiam, quæ actu cognoscitur; æquivalenter verò & moraliter quoad circumstantiam malitiæ, quæ non actu advertitur, quatenus qui non actu advertit, cum potest & debet advertere (potest autem & debet, qui habitualiter novit,) perinde se habet in æstimatione prudenti in ordine ad imputabilitatem malitiæ actionis, ac si operaretur cum actuali advertentia illius; seu, quod idem est, qui non advertit, cum potest & debet advertere, morali iudicio censetur advertere, & operari cum advertentia. Hinc qui deliberatè ponit actionem aliquam malam, nisi invincibiliter aut probabiliter ignoret malitiam illius, peccat, etiamsi non advertat actionem esse malam, imò etiamsi fortè actu iudicet esse bonam.

## DISPUTATIO III.

De libero &amp; necessario.

## ARTICULUS I.

*Quid sit liberum arbitrium, ad quam facultatem pertineat, & an detur etiam in homine lapso.*

## RESPONSIO I.

**L**iberum arbitrium rectè describitur, potestas libera ex iis, quæ ad finem aliquem conducunt, unum præ alio eligendi, aut unum & idem acceptandi vel respuendi, soli naturæ intelligenti conveniens.

Ita ferè Bellarminus noster lib. 3. de gratia & lib. arbitrio c. 3. Hæc autem definitio bona est, quia omni & soli convenit, & explicatur cum eodem. 1. Igitur liberum arbitrium dicitur potestas, & per hoc distinguitur ab omni actu & habitu sive naturali sive acquisito. Dicitur 2. potestas libera, libertate scilicet indifferentiæ: nam, ut probabitur, ad liberum arbitrium requiritur libertas non solum à coactione, sed etiam à simplici necessitate. Dicitur 3. ex iis; quæ voce significatur objectum liberi arbitrii. Additur autem, quæ ad finem aliquem conducunt; quia liberum arbitrium non versatur circa finem, sed circa media: actus enim liberi arbitrii supponit deliberationem. At deliberatio non est de fine, sed de mediis, quæ sunt ad finem. Hoc igitur discrimen inter voluntatem & liberum arbitrium, quæ, ut infra ostendetur, sunt una & eadem realiter potentia; hoc, inquam, interest discrimen, quoddam appetendi potentia voluntas dicitur, quatenus respicit finem; & liberum arbitrium, quatenus respicit media, quæ assumuntur propter finem: sicut eadem intelligendi potentia dicitur intellectus, quatenus respicit prima principia; & ratio, quatenus respicit conclusiones, quæ deducuntur ex primis principis. Dicitur 4. unum præ alio eligendi, aut unum & idem acceptandi, vel respuendi. Quibus verbis significatur actus proprius liberi arbitrii, nempe electio, quæ duobus modis fieri potest, vel unum ex duobus aut etiam pluribus mediis propositis optando, vel uno tantum medio proposito, illud assumendo, vel rejiciendo. Dicitur denique, soli naturæ intelligenti conveniens, & per hæc verba exprimitur subiectum liberi arbitrii. Omnes enim & solæ naturæ intelligentes, Deus scilicet, Angeli & homines, sunt capaces liberi arbitrii.

## RESPONSIO II.

Liberum arbitrium solius est voluntatis.

*Prob.* 1. Liberum arbitrium est voluntatis. Nam liberum arbitrium pertinet ad illam facultatem, cuius est eligere: cum actus liberi arbitrii sit electio. Atqui voluntatis est eligere: nam eligere est velle; cum eligere sit velle unum præ alio, aut unum & idem potius velle, quam nolle. Ergo, &c. 2. Liberum arbitrium solius est voluntatis. Nam si est alterius facultatis, certè intellectus. Atqui hoc dici non potest.

rest. Liberum enim arbitrium est facultas actuum suorum domina; cum sit facultas electiva. Atqui intellectus non est facultas actuum suorum domina. Nam 1. necessariò apprehendit objectum sibi sufficienter propositum. 2. Necessariò iudicat objectum illud esse verum, quod ipsi evidenter proponitur ut verum, & illud esse falsum, quod ipsi evidenter proponitur ut falsum. 3. Necessariò dubitat, quando apparent illi aequalia motiva pro veritate & falsitate objecti. 4. Quando objectum proponitur illi tantum ut verisimile, vel ut credibile, necessariò hæret suspensus, nec determinatè iudicat objectum esse verum, donec ad id iudicandum efficaciter applicetur à voluntate. 5. Necessariò assentitur conclusioni evidenter deductæ ex præmissis evidenter veris. Quod si vel una ex præmissis est tantum verisimilis, manet anceps, nec determinatè assentitur conclusioni, nisi voluntas assensum imperet. Ergo intellectus ad actus suos determinatur vel ab evidentia objecti, vel ab imperio voluntatis, & consequenter non habet actuum suorum dominium. Porro liberum arbitrium sic est formaliter in sola voluntate, quia sola est facultas electiva, facultas libera, & sui determinativa, facultas actuum suorum domina, ut sit etiam aliquo modo in intellectu, nempe radicaliter. Ratio est, quia voluntas, ut possit liberè operari & eligere, præsupponit amplum quendam & eminentem cognoscendi modum, quo intellectus propter suam in cognoscendo amplitudinem & eminentiam, cognoscit diversa eligibilia ut talia, vel rem eandem sub diversis rationibus, secundum quas potest eligi, vel non eligi. Hinc infantes, amentes & dormientes non possunt habere usum liberi arbitrii, quia non possunt cognoscere cum illa eminentia & amplitudine. Hinc bruta sunt liberi arbitrii incapacia, non solum quia appetitus eorum, utpotè purè sensitivus, ad unum determinatus est ex natura sua; sed etiam quia potentia cognoscitiva in illis purè materialis est, & ita nec habet, nec habere potest amplum illum & eminentem cognoscendi modum, quem essentialiter præsupponit electio, & quem habet omnis potentia cognoscitiva spiritalis. Hinc omnis & sola natura intelligens capax est liberi arbitrii.

## RESPONSIO III.

Liberum arbitrium inest homini lapso. Est de fide. *Prob. 1.* Ex Trid. sess. 6. can. 5. ubi dicitur: *Si quis liberum hominis arbitrium post Ade peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, signentur denique à Satana in vectum in Ecclesiam: anathema sit.* 2. Si homo lapsus non habet liberum arbitrium, ceterè quia, ut volunt Lutherus & Calvinus, alique liberi arbitrii olores, non habet libertatem indifferentiæ circa bonum & malum; sed quotiescumque etiam deliberatè operatur, sive bonum sive malum operetur, operatur ex antecedenti determinatione intrinseca. Falsum & hæreticum consequens, ut ostenditur suo loco. Ergo, &c.

## ARTICULUS II.

Utrum liberum arbitrium versetur circa finem ultimum.

## RESPONSIO I.

**L**iberum arbitrium per se & secundum essentiam suam consideratum, non versatur circa finem ultimum.

*Prob. 1.* Liberum arbitrium reperitur in Deo secundum totam suam rationem essentialiam. Nam liberum arbitrium est perfectio simpliciter simplex, quæ proinde non diminuitur, sed secundum totam suam essentiam necessariò reperitur in Deo. Atqui liberum arbitrium in Deo non versatur circa finem ultimum, nempe circa Deum ipsum: Deus enim se ipsum necessariò amat, & propter se ipsum necessariò operatur, quicquid operatur, ex hypothesi

quod operetur. Imò Deus eatenus præcisè est liberi arbitrii, quatenus potest pro arbitrio hoc medium in particulari, & inter hæc media pro arbitrio hoc vel illud assumere vel non assumere ad procurandam gloriam suam extrinsecam. Ergo, &c. Hoc argumentum suggerit S. Thom. 1. p. q. 19. a. 10. in O. ubi sic ait: *Cum Deus ex necessitate suam bonitatem velit, alia verò non ex necessitate; respectu illorum, quæ non ex necessitate vult, liberum habet arbitrium.*

*Prob. 2.* Angeli beati non imperfectius, imò perfectius habent liberum arbitrium, quam homines viatores, & tamen non sunt liberi circa finem ultimum, cui necessariò adhærent, sed tantum circa varia, quæ secundum se apta sunt conjungere creaturam fini ultimo. Item Christus diminutum non habuit liberum arbitrium, & tamen libertatem suam exercere non potuit circa finem ultimum, cui necessariò & immobiliter adhærebat, sed tantum circa hæc vel illa propter finem ultimum. Ergo tota ratio essentialis liberi arbitrii stare potest cum immobili adhæensione ad finem ultimum, nec aliud dicit, quam facultatem eligendi inter media ad finem ultimum conducentia.

## RESPONSIO II.

Liberum arbitrium, etiam quale est in homine viatore, non versatur circa finem ultimum formaliter, hoc est secundum communem beatitudinis rationem consideratum.

*Prob.* Liberum arbitrium non versatur circa illud objectum, quod ex naturali instinctu appetimus. Quod enim ex naturali instinctu appetimus, illud necessariò appetimus. Atqui ex naturali instinctu appetimus finem ultimum formaliter sumptum. Non enim ex propria electione, sed ex instinctu naturali volumus esse felices. Ergo, &c. Sic argumentatur S. Thomas 1. p. q. 19. a. 10. in O. *Liberum* inquit, *arbitrium habemus respectu eorum, quæ non necessariò volumus, vel naturali instinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet, quod volumus esse felices, sed ad naturalem instinctum.*

*Confirm.* Appetitus ille non pertinet ad liberum arbitrium, cuius dominium non habemus. Nam secundum omnes, etiam eterodoxos, liberum arbitrium est facultas actuum suorum domina. Atqui domini non sumus appetitus finis ultimi formaliter sumpti. Ergo, &c. *Prob. min.* Domini non sumus appetitus objecti illius, quod non possumus pro arbitrio acceptare vel respuere, hoc est, quod non possumus eligere vel non eligere. Atqui non possumus pro arbitrio acceptare vel respuere finem ultimum formaliter sumptum: non enim possumus pro arbitrio velle vel nolle esse felices. Ergo domini non sumus appetitus finis ultimi formaliter sumpti. Sic argumentatur S. Thomas 1. p. q. 82. a. 1. ad 3. *Sumus domini*, inquit, *nostrorum actuum secundum quod possumus hoc vel illud eligere. Electio autem non est de fine, sed de iis quæ sunt ad finem. Unde appetitus ultimi finis non est de his, quorum domini sumus.*

Porro dixi, finem ultimum formaliter sumptum. Nam liberum arbitrium, quale hic habemus, versari potest circa finem ultimum sumptum materialiter, hoc est, circa Deum, in quo re ipsa consistit beatitudo nostra. Nam sæpè contingit homines deliberare, utrum beatitudinem suam constimere, & quarere debeant in Deo, an in creaturis; & re ipsa cum summa Dei injuria in creaturis constituere & quarere. Sed hoc est per accidens respectu liberi arbitrii nostri, quatenus in hac mortali vita non apparet nobis evidenter connexio finis ultimi materialiter sumpti cum fine ultimo formaliter sumpto, sicut apparet Angelis beatis per visionem beatificam. Unde non solum fini ultimo formaliter sumpto, sed etiam ipsi Deo immobiliter adhærent, sine nulla tamen diminutione liberi arbitrii: imò eo potentius & liberius habent liberum arbitrium, quod Deo adhærent immobiliter.

*Dices.* Homo potest pro arbitrio appetere vel non appe-

appetere finem ultimum, etiam formaliter sumptum, & secundum communem rationem beatitudinis: nam appetitus finis ultimi, formaliter sumpti, est quidem necessarius quoad specificationem; quia non potest homo velle oppositum: at necessarius non est quoad exercitium; quia potest homo non velle cogitare de beatitudine, & beatitudinem non actu appetere, avertendo mentem suam ab ejus cogitatione. Ergo liberum arbitrium, quale hic habemus, versatur circa finem ultimum, etiam formaliter sumptum. R. neg. consequens. Nam hæc imperfecta & indirecta libertas exercitii, quam habemus circa beatitudinem in communi, non pertinet ad liberum arbitrium. Actus enim proprius liberi arbitrii ita est in potestate voluntatis, ut voluntas, positis omnibus ad agendum prærequisitis, possit illum pro arbitrio exercere vel non exercere, & suspendere. At voluntas non potest non appetere beatitudinem actu cogitatum. Ergo, &c. Præterea imperfectam illam & indirectam libertatem circa beatitudinem in communi non habet voluntas, nisi per accidens, & ex imperfectione intellectus, qui non adhæret immobiliter beatitudini per actualem advertentiam: unde si sic adhæreret, voluntas quoque immobiliter adhæreret per actualem appetitionem, & tamen idcirco non haberet diminutum & imperfectum liberum arbitrium.

## ARTICULUS III.

*Quenam libertas necessaria sit ad liberum arbitrium.*

**N**Ota. Duplex est, quantum ad rem præsentem pertinet, libertas; nempe libertas à coactione, & libertas à simplici necessitate. Libertas à coactione, quæ etiam libertas spontaneitatis dicitur, consistit in carentia violentiæ, hoc est, in carentia absolutæ & inevitabilis ad unum determinationis, ab extrinseco causatæ contra internum voluntatis omnino renitentis affectum. Libertas à simplici necessitate, quæ aliter libertas indifferentiæ dicitur, est immunitas ab antecedenti, etiam non violenta, ad unum determinationem intrinsecam. De hac libertate queritur, utrum requiratur ad constitutionem liberi arbitrii, an verò libertas à coactione sufficiat. Sufficere docuit Bucerus in libro de concordia doctrinæ, & hoc pacto existimavit se viam invenisse conciliandi Lutheranos cum Catholicis circa liberum hominis arbitrium. Id nimirum, quod Catholici dicunt hominem esse liberi arbitrii, intelligendo de immunitate à coactione, non de immunitate à simplici necessitate: id verò, quod Lutherani dicunt hominem non esse liberi arbitrii, intelligendo de libertate à simplici necessitate, non de libertate à coactione. Bucerus consentit Janenius libro 6. de gratia Christi Salvatoris, cap. 6. & sequentibus, ubi expressè docet, & quantum potest probat, non simplicem necessitatem, sed solam coactionem libero arbitrio repugnare: de quo aliàs,

## RESPONSIO.

Ad liberum arbitrium non sufficit libertas à coactione, sed requiritur libertas à simplici necessitate.

*Prob. 1. autoritate summorum Pontificum Pii V. & Gregorii XIII. à quibus damnatæ sunt hæc propositiones Baii: Quod voluntarie sit, etiamsi necessario fiat, liberè tamen sit. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* In his autem propositionibus Bajus loquitur de libertate arbitrii, ut per se clarum est, & huic libertati, non simplicem necessitatem, sed solam violentiam asserit repugnare. Ergo fallum est, quod sola violentia, & non simplex necessitas repugnet libero arbitrio.

*Prob. 2. autoritate Patrum.* Ad instar omnium nobis hic erunt Damascenus, Anselmus & Bernardus, qui de libero hominis arbitrio ex professo tractarunt. Et 1. quidem S. Damascenus lib. 2. orth. fidei cap. 25. probat hominem esse authorem actionum suarum,

etiamque in arbitrio suo & potestate sua habere: alioquin ei deliberandi facultas frustra tributa esset. Cap. 26. explicat quid sit hominem habere aliquid in potestate & arbitrio suo: *In nostra, inquit, potestate sunt ea quæ liberum est nobis vel facere vel non facere.* Et paulò inferius: *Proprie autem in nostra potestate consistunt omnia ea, de quibus deliberamus.* Consilium porro ac deliberatio de iis rebus suscipitur, quæ peræque in utramque partem contingere possunt. Peræque autem contingens id est, quod & ipsum possemus, & quod ipsi adversatur. Hujus verò electio penes mentem nostram est. Et cap. 27. dicit bruta animalia non habere libertatem arbitrii, quia non habent dominium appetitionum suarum; sed ubi primum aliquid appetiverint, ad actionem ruunt. At è contra homo potest pro arbitrio appetitum suum coercere, vel ei obsequi: unde habet in sua potestate appetitum suum, & sic est liberi arbitrii. Requirit ergo Damascenus ad liberum arbitrium immunitatem à simplici necessitate.

2. Anselmus in dialogo de lib. arb. c. 5. ubi Magistrum cum Discipulo colloquentem inducit, manifestè requirit ad libertatem arbitrii immunitatem à simplici necessitate: postquam enim discipulo querenti, quomodo homo liber sit libertate arbitrii ad servandam rectitudinem, cum sæpe rectam homo habens voluntatem, ipsam rectitudinem invitus, cogente tentatione, deserat; respondit magister: *Neminem illam deserere rectitudinem, nisi volendo, & ita voluntatem cujusque liberam esse libertate arbitrii ad servandam rectitudinem; sic instat discipulus: Num simili ratione possumus dicere voluntatem equi esse liberam, quia appetitui carnis non servit, nisi volens? Huic autem instantiæ ita respondet magister: Non est hoc similiter: in equo namque non ipsa voluntas se subicit, sed naturaliter subiecta semper necessitate appetitui carnis servit: in homine verò quandiu ipsa voluntas recta est, nec servit, nec subiecta est, cui non debet; nec ab ipsa rectitudine ulla vi aliena avertitur, nisi ipsa, cui non debet, volens consentiat; quem consensum non naturaliter nec ex necessitate, sicut equus, sed ex se aperte videtur habere. Igitur ex Anselmo, sicut voluntas hominis non deserit rectitudinem, nisi volens, ita voluntas equi non servit appetitui, nisi volens; & tamen voluntas equi non habet libertatem arbitrii, sicut habet voluntas hominis; quia voluntas equi ex antecedenti necessitate, licet voluntaria, servit appetitui; hominis verò voluntas, non ex antecedenti necessitate, etiam voluntaria, sed ex se, hoc est, ex propria determinatione consentit tentationi, & consentiendo rectitudinem ex propria determinatione deserit. Igitur ex Anselmo, ad libertatem arbitrii requiritur immunitas ab antecedenti ad unum determinationem, etiam voluntaria, & consequenter non sufficit sola immunitas à coactione, sed necessaria est immunitas à simplici necessitate.*

Præterea, libro de Concordia quæst. 1. conciliat libertatem arbitrii cum præscientia divina, docendo præscientiam divinam nullam asserere necessitatem rebus præcitis. Pro quo distinguit duplicem necessitatem, unam sequentem, & alteram præcedentem, docetque ex rebus à Deo præcitis alias necessarias esse necessitate sequenti tantum, ut actus elicitos voluntatis, alias verò necessarias esse & sequenti & præcedenti necessitate, ut actus imperatos voluntatis: sic tamen ut neutram necessitatem faciat præscientia divina, sed è contra utramque supponat, & solum intueatur. Nam v.g. actus eliciti voluntatis, quos Deus præcitat, necessarii sunt necessitate sequenti, quia quod Deus præcitat, futurum est, & quod futurum est, non potest simul non esse futurum; cum impossibile sit idem simul esse & non esse. Actus verò imperati voluntatis, quos similiter præcitat Deus, necessarii sunt non solum necessitate sequenti, quatenus res futura non potest simul non esse futura, sed etiam necessitate præcedenti, quatenus eliciendi sunt à potentiis suis à voluntate efficaciter applicandis,

dis, & prædeterminandis. Unde actus elicitus sunt necessarij necessitate sequenti, ex sola suppositione quod futuri sunt; & actus imperati sunt necessarij etiam necessitate præcedenti, propter solum voluntatis imperium, quo voluntas potentis sibi perfectè subjectis despotice imperat. Cum utraque autem necessitate actus tam imperati, quam elicitus, futuri sunt liberè libertate arbitrii, quia utraque necessitas, ut sit vel non sit, est in potestate voluntatis; & actus elicitus sunt futuri, quia se ipsa voluntas ad illos determinatura est, sicque illos elicit, ut posset non elicere. Item actus imperati futuri sunt, quia voluntas illos ex propria determinatione imperatura est, & ita illos imperabit, ut posset non imperare. Horum autem omnium præscientia divina, quæ falli non potest, certissimum indicium est. Divina igitur præscientia ex Anselmo conciliatur cum libertate arbitrii, non quia vim non affert voluntati, sed quia, quantumvis Deus præficiat actus sive elicitos sive imperatos, voluntas immunitis est ab antecedenti ad unum determinatione intrinseca, & tam se ipsa determinatura est, quam si actus ejus non essent à Deo præcisi.

Hanc ejus esse doctrinam patet ex verbis ejus: sic enim questione citata loquitur: *Potest (voluntas) non velle antequam velit, quia libera est, & cum vult, non potest non velle, sed eam velle necesse est, quoniam impossibile illi est idipsum simul & velle & non velle. Opus vero voluntatis, cui datum est, ut, quod vult, sit, & quod non vult, non sit, voluntarium sive spontaneum est, quoniam spontanea voluntate fit, & bisariam est necessarium, quia & voluntate cogitur fieri, & quod sit, non potest simul non fieri. Sed has necessitates facit voluntatis libertas, quæ prius quam sint, eas cavere potest. Hac omnia Deus, qui scit omnem veritatem, & non nisi veritatem, sicut sunt, spontanea vel necessaria videt, & sicut videt, ita & sunt. Hac ergo consideratione palam est, quia sine omni repugnantia & Deus præscit omnia, & multa sunt ex libera voluntate, quia antequam sint, fieri potest ut nunquam sint, & tamen quodam modo sunt necessitate, quæ necessitas, ut dixi, descendit de libera voluntate. Breviter. Secundum Anselmum, voluntas libera est libertate arbitrii circa actus tam imperatos, quam elicitos, etiam in sensu composito præscientiæ divinæ; quia si quam habent hī actus necessitatem existendi, non habent nisi ab exercitio libertatis, & consequenter ad illud; proindeque secundum Anselmum, voluntas libera est libertate arbitrii, etiam in sensu composito præscientiæ, quia etiam in sensu composito præscientiæ immunitis est ab omni omnino antecedenti ad unum determinatione intrinseca, hoc est, ab omni necessitate etiam simplici.*

Denique Bernardus lib. de grat. & lib. arb. sic loquitur: *Aliud est voluntarius consensus, aliud naturalis appetitus. Hunc communem habentes cum bestiis consensus voluntarius nos discernit: est enim habitus animi liber sui, siquidem non cogitur, non extorquetur; est quippe voluntatis, non necessitatis. Itaque secundum Bernardum, non appetitus naturalis, sed voluntatis consensus discernit nos à bestiis, & discernit per libertatem sibi propriam, & quam non habet appetitus sensitivus. At libertas illa non est nisi libertas à simplici necessitate: non enim potest esse libertas à coactione, quæ bestiis non carent. Igitur apud Bernardum voluntarius consensus est actus potentie indifferentis ad opposita; voluntas potentia illa; necessitas quælibet antecedens, ad unum determinatione intrinseca; cogi denique idem ac intrinsece determinari ad unum, sive violenter, sive non. Ex his autem sic argumentor. Libertas, per quam discernimur à bestiis, est libertas arbitrii. Atqui secundum Bernardum, libertas per quam discernimur à bestiis, est libertas à simplici necessitate. Ergo secundum Bernardum, libertas arbitrii est libertas à simplici necessitate.*

Præterea, eodem libro distinguit triplicem libertatem, à peccato scilicet, à miseria, & à necessitate,

quam dicit esse libertatem arbitrii. Quod autem libertatem à necessitate etiam non violenta intelligat, manifestum est ex iis quæ subjicit, nempe libertatem hanc habere multum honoris, & nos per eam præstare cæteris animantibus. Nam libertas à necessitate violenta, seu immunitas à coactione, non habet specialem excellentiam, neque per eam præstamus cæteris animantibus. Demum ita mentem suam aperit inferius, ut nullus supersit tergiversationi locus. Nam sic loquitur: *Sola remansit ad poenam libertas arbitrii, per quam utique cæteras amisit, ipsam tamen amittere non potuit. De tribus ergo libertatibus, quas acceperat, abutendo illa, quæ dicitur arbitrii, reliquis se privavit.* Unde sic argumentor. Libertas illa, quæ primus homo abusus est in statu innocentie, & quæ abutendo, se ipsum privavit & posteros suos libertatibus aliis, nempe à peccato & à miseria, secundum Bernardum, est libertas arbitrii. Atqui eadem illa libertas, secundum omnes, etiam eterodoxos, est libertas à simplici necessitate, libertas indifferentie. Ergo, secundum Bernardum, libertas arbitrii est libertas à simplici necessitate, libertas indifferentie.

Prob. 3. autoritate Scholasticorum, pro quibus omnibus erit S. Thomas 1. p. q. 19. a. 10. in O. *Liberiorum arbitrium habemus respectu eorum, quæ non necessario volumus, vel naturali instinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet, quod volumus esse felices, sed ad naturalem instinctum. Unde & alia animalia, quæ naturali instinctu moventur ad aliquid, non dicuntur libero arbitrio moveri. Cum igitur Deus ex necessitate suam bonitatem velit, alia vero non ex necessitate, respectu illorum quæ non ex necessitate vult, liberum arbitrium habet.* Quibus verbis S. Doctor à libero arbitrio removet pro quocumque subjecto necessitatem, etiam illam, quæ simplex & voluntaria est.

Prob. 4. Quidquid repugnat electioni, repugnat libero arbitrio. Nam ut ait S. Thomas 1. p. qu. 83. a. 3. in O. *proprium liberi arbitrii est electio. Ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere, alio recusato, quod est eligere.* Unde S. Doctor liberum arbitrium definit vim eligendi, ead. q. a. 4. Atqui antecedens, quamvis voluntaria, necessitas repugnat electioni: electio enim non est præcisè acceptio unius præ alio, sed acceptio unius præ alio sine antecedenti necessitate & determinatione ad unum intrinseca. Quare S. Thomas 1. 2. q. 13. a. 2. in O. docet brutis animantibus electionem non convenire, nobis verò convenire, quia appetitus sensitivus (qui solus est in brutis animalibus) est determinatus ad unum particulare secundum ordinem nature: voluntas autem est quidem secundum naturæ ordinem determinata ad unum commune, quod est bonum, sed indeterminate se habet respectu particularium bonorum. Unde proprie voluntatis est eligere, inter bona scilicet particularia, non autem appetitus sensitivus, proindeque bruta non magis eligunt, cum accipiunt unum particulare, alio relicto, quam ignis eligat, cum movetur sursum, & non deorsum, ut ait idem Doctor ibidem ad 2. Ergo, &c.

Prob. 5. Liberum arbitrium dicit essentialiter dominium in actus illos, circa quos versatur. Atqui dominium in actum stare non potest cum antecedenti necessitate & determinatione intrinseca ad illum. Ergo, &c. Major à nemine negatur. Minorem verò expressè docet S. Thomas lib. 1. contra Gent. cap. 68. *Dominium, inquit, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum.* Quod per se manifestum est: voluntas enim eatenus dominatur in actum suum, quatenus potest de illo pro arbitrio disponere, hoc est, illum pro arbitrio producere vel non producere, aut productum deponere: quod esse non potest cum antecedenti determinatione ad unum intrinseca. Ergo, &c.

Prob. denique 6. ex sensu eorum omnium, qui negarunt liberum hominis arbitrium. Nam negarunt hominem esse liberi arbitrii, vel quia putarunt hominem

nem omnia, quæ vult & agit, velle & agere ex violentia extrinsecus illata, homine ad id nihil conferente, sed, quantum potest, reluctante; vel quia putarunt hominem omnia, quæ vult & agit, velle & agere ex voluntaria, sed antecedenti necessitate intrinseca ad volendum & agendum. Non primum, Nam planè incredibile est eos eò dementia devenisse, ut ita sentirent contra evidentissimam rationem, & manifestissimam omnium experientiam, præsertim cum ad ita sentiendum nulla utilitate adduci potuerint, quando quidem illis sufficiebat omnino, si diceretur homo omnia velle & agere ex necessitate voluntaria. Ergo primum. Ergo negabant liberum hominis arbitrium, quia persuasum illis erat liberum arbitrium sine immunitate à simplici necessitate stare non posse, & liberum arbitrium opponi non solum coactioni, seu necessitati violentæ, sed etiam necessitati voluntariæ. Unde Calvinus lib. 2. contra Pighium sic agebat: *Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium & fateor, & constanter assevero, ac pro hæretico habeo, quisquis secus sentiat. Si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogitur, & violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua, nihil moror.*

## ARTICULUS IV.

*Solvuntur objectiones petite ab Autoritate.*

**O**bj. 1. S. Damascenus docet 1. arbitrii libertatem nihil aliud esse, quam voluntatem, lib. 2. orth. fidei cap. 27. 2. Hominem liberum esse hoc ipso quod rationalis est, ibidem. 3. Id esse in nostra potestate, & consequenter in libertate arbitrii, quod ultro & sponte fit, eod. lib. cap. 26. 4. Solum coactum & invitum opponi libero libertate arbitrii, eod. lib. cap. 12. ubi sic ait: *Neque virtutis nomen obtinere potest, quod quis per vim atque invitum efficit.*

*R. ad 1.* Damascenum nomine voluntatis intelligere facultatem volendi vel non volendi, agendi vel non agendi, sine antecedenti ad unum determinatione intrinseca. Pro quo nota, cum S. Thoma q. 2. de potentia a. 3. in O. Appetitus rationalis considerari potest dupliciter, nempe ut natura & ut voluntas. Ut natura est, est antecederet determinatus ad unum: ut voluntas est, non est sic ad unum determinatus, sed potest ad unum ex oppositis se ipsum determinare. *Voluntas, inquit, in quantum voluntas, cum sit libera, ad utrumlibet se habet: potest enim voluntas agere vel non agere, sic vel sic facere, velle & non velle: & si respectu alicujus hoc voluntati non conveniat, hoc accidit voluntati, non in quantum voluntas est, sed ex inclinatione naturali,* ac proinde in quantum natura est. Nomen igitur voluntatis non solum in usu communi hominum, sed etiam in scholis, non solum apud vulgus, sed etiam apud eruditos, significat facultatem activè indifferentem ad opposita; & in hac significatione sumi à Damasceno & aliis Patribus, cum dicunt liberum arbitrium esse voluntatem, nulla ratio dubitandi est.

*R. ad 2.* S. Damascenum solum dicere, quod arbitrii libertas necessariò connexa sit cum ratione; quia ratio homini data est ad consulendum, nec homo consultare potest, nisi ut unum ex iis, quæ habet in sua potestate, eligat, & cum elegerit, exequatur. Unde fit, ut, sublata eligendi facultate, necesse sit tolli rationem, & consulendi facultatem, utpotè jam inutilem, imò & impossibilem. Si enim semper vis & agis ex necessitate, & antecedenti ad unum determinatione, inutiliter consultas, imò nequidem potes consultare.

*R. ad 3.* S. Damascenum, ut patet ex eod. lib. c. 24. spontaneum duplex agnoscere, unum perfectum, & alterum imperfectum. Imperfectum est illud, quod nullam supponit deliberationem, nec proinde est ex electione; dicitur tamen spontaneum, quia ex eo voluptate afficimur. Hoc spontaneum convenit brutis, pueris, imò & homini usum rationis habenti, quando scilicet facit aliquid cum voluptate, sed sine delibera-

tione & electione, ac proinde sine libertate. Spontaneum perfectum est illud, quod supponit deliberationem, & est ex electione, ac proinde à principio se ipsum determinante. Unde tale spontaneum non solum voluptatem, sed etiam laudem vel vituperationem comitem habet, & de eo loquitur Damascenus, cum ait illud esse in nostra potestate, & consequenter nobis liberum esse libertate arbitrii, quod ultro & sponte facimus; & idem est ac si diceret, illud esse in nostra potestate, & libertate arbitrii, nobis liberum esse, quod facimus post deliberationem, ex electione, & non ex necessitate, vel naturæ, aut passionis rationem præoccupantis impetu.

*R. ad 4.* S. Damascenum non opponere solum coactum strictè dictum libero libertate arbitrii; nam ibi loquitur de libertate arbitrii, quacum primus homo conditus fuit, & quam proinde habuit in statu innocentie; cui sanè libertati Damascenus non opposuit solum coactionem strictè dictam. Itaque Damascenus loco citato dicit Deum condidisse primum hominem peccati expertem, sed non sine libero ad peccandum vel non peccandum arbitrio, ita ut posset manere & proficere in bono si veller, & si veller, mutari ex bono, & prolabi in malum. Tum hanc rationem subjicit: Virtus non est, quod sit ex violentia; per violentiam intelligens quamcumque antecedentem necessitatem & determinationem ad unum.

*Obj. 2.* S. Anselmus lib. 2. Cur Deus homo, cap. 10. docet necessitatem simplicem non esse nisi improprie necessitatem. *Improprie, inquit, dicitur necessitas, ubi nec coactio ulla est, nec prohibitio.* 2. Ibidem docet simplicem illam necessitatem non repugnare libertati arbitrii: nam dicit Christum viatorem, Angelos beatos, & Deum ipsum esse libere justos, licet peccare non possint; quia scilicet non sunt coacti, sed spontaneè justii, & sic non necessitate, sed libere justii sunt.

*R. ad 1.* S. Anselmum per coactionem & prohibitionem intelligere omnem antecedentem & ineluctabilem necessitatem; quod evidenter probari potest ex lib. de concordia qu. 1. ubi loquens de actibus imperatis voluntatis, dicit illos esse antecederet necessarios, quia potentias, à quibus eliciuntur, cogit voluntas. Ergo per hanc vocem, cogere, S. Anselmus intelligit antecedentem necessitatem, non violentiam.

*R. ad 2.* Juxta S. Anselmum, Christum ut ut hominem, Angelos beatos, & ipsum Deum libere justos esse, quamvis peccare non possint, quatenus ita sunt impeccabiles, ut possint hoc justum in particulari facere vel non facere, & ex pluribus justis particularibus hoc vel illud eligere.

*Obj. 3.* S. Bernardus in lib. de grat. & lib. arb. 1. docet necessitatem, quæ opponitur libero arbitrio, opponi voluntario. At voluntario non opponitur necessitas simplex. 2. Expresse declarat necessitatem, libero arbitrio repugnantem, esse violentiam: nam reddens rationem, quare consensus voluntatis fit liber, & quidem libertate arbitrii, sic ait: *Non cogitur, non extorquetur, est quippe voluntatis, non necessitatis.* 3. Indicat actum voluntatis hoc ipso liberum esse, quod fit ex prævia cognitione rationali. *Voluntas, inquit, est motus rationalis.* 4. Dicit libertatem arbitrii esse prorsus inamissibilem, quia scilicet voluntas hoc ipso, quod voluntas est, libera est libertate arbitrii. 5. Ait libertatem à necessitate communem esse, & aequaliter convenire Deo, Angelis, homini, & demonibus. 6. Docet voluntatem temper æquè liberam esse, quamcumque in malo superando patiatur difficultatem.

*R. ad 1.* S. Bernardum ibi per voluntarium intelligere non præcisè id, quod est à voluntate ex prævia cognitione; sed id, quod est à voluntate, ex prævia cognitione operante cum indifferentia activa ad opposita, & sine antecedenti ad unum determinatione intrinseca. *Ad 2.* Sanctum Bernardum per illud, *Non cogitur, non extorquetur*, intelligere carentiam omnis antecedentis & ineluctabilis determinationis ad unum. Loquitur ergo S. Bernardus secundum communem loquendi modum, juxta quem, cum aliquid dici-

dicitur, non cogi, non extorqueri, significatur nulla necessitate fieri. Ad 3. S. Bernardum vocare actum voluntatis motum rationalem, quia actui voluntatis ratio praelucet. Unde voluntas ipsa communiter dicitur appetitus rationalis. Ad 4. S. Bernardum per voluntatem intelligere facultatem activè indifferentem ad opposita, vel, si vis, facultatem eligendi. Unde, stante voluntate, tam impossibile est non esse libertatem arbitrii, quam impossibile est voluntatem esse sine voluntate. Ad 5. S. Bernardum nihil aliud velle, quam libertatem indifferentiam, in qua consistit libertas arbitrii, positam esse in indivisibili; & ita omnibus substantiis intelligentibus æquè convenire. Ad 6. denique, S. Bernardum velle tantum, quod per peccatum non amittatur liberum arbitrium, sed semper maneat in homine, sive sit in statu gratiæ, sive in miseria peccati, quia scilicet semper manet in homine vis eligendi, & facultas volendi vel non volendi id, de quo deliberavit.

Obj. 4. S. Thomas in 3. dist. 25. q. un. a. 4. in O. sic ait: *Liberum arbitrium dicitur ex eo, quod cogi non potest.* R. S. Doctorem nomine coactionis hic intelligere necessitatem antecedentem tam voluntariam, quam involuntariam, velleque liberum arbitrium sic dici ex eo, quod non possit ad actus suos necessitari neque involuntaria neque voluntaria necessitate. Patet ex dictis ab eo a. 2. ubi quaerit utrum liberum arbitrium cogi possit. Pro quo distinguit duplicem coactionem, unam scilicet sufficientem, quæ compulsio dicitur, & alteram insufficientem, quæ vocatur impulsio. Coactio autem sufficiens, seu compulsio, iterum duplex est, una violenta, & altera non violenta. Nam in partibus animæ quædam sunt, quæ compelli possunt, sed dupliciter. Quædam enim compelluntur ex subiecto, sicut ille vires, quæ sunt organis affixæ; cum enim sine organis operationes habere non possint, compulsus organis, ipse virtutes prohibetur, vel compelluntur, earum actibus violentè extorris. En coactio sufficiens violenta. Quædam vero sunt, quæ quidem subiecto non compelluntur, quia organis affixæ non sunt; compelluntur tamen obiecto, sicut intellectus, qui demonstrationis vi cogitur. En coactio sufficiens non violenta. Neutrius autem coactionis capax est voluntas, quia liberum arbitrium est, hoc est, quia facultas est mediorum ad finem ultimum conducentium electiva: Nam neque subiecto cogi potest, cum non sit organo affixa, neque obiecto: quantumcumque enim aliquid ostendatur esse bonum, in potestate ejus remanet, eligere illud, vel non eligere. Nam in his, quæ ad finem ultimum ordinantur, sicut nihil invenitur adeo malum, quin aliqd bonum admixtum habeat, ita nec aliqd adeo bonum, quod in omnibus sufficiat, unde quantumcumque ostendatur bonum vel malum, semper potest voluntas adherere, & fugere in contrarium ratione alterius, quod in ipso est. Inde est, quod in omnibus, quæ sub electione cadunt, voluntas libera manet, in hoc solo determinationem habens, quia natura est, quod felicitatem naturaliter appetit; quia felicitas completam habet rationem boni, sicut miseria completam habet rationem mali. Unde felicitas ut purum bonum, miseria vero ut purum malum, appetitui rationali proponitur. Igitur ex S. Doctore, liberum arbitrium dicitur ex eo, quod sit incapax omnis coactionis sufficientis, seu omnis necessitatis antecedentis tam violentæ, quam non violentæ, & solius capax sit coactionis insufficientis, seu impulsivæ; quia voluntas potest inclinari ad agendum aliquid per aliquas dispositiones & habitus, ex quibus prior efficitur ad eligendum alteram partem.

Dices 1. S. Thomas ead. dist. a. 1. ad 4. conjungit electionem cum necessitate simplici. Nam sic loquitur: *Quædam ordinata sunt ad finem ultimum beatitudinis, quæ ipsa fini conjungunt, ut videre, amare, & hujusmodi; & respectu horum erit (in beatis) sempiterna & libera electio.* Ergo, &c. R. neg. ant. Nam hoc loco S. Doctor dicit tantum, quod beati in cælo in æternum habebunt liberum arbitrium circa aliquos actus. Pro quo distinguit actus duplicis generis, alios

scilicet, qui sunt impossibiles cum possessione finis ultimi, ut sunt credere & sperare; alios vero, quos possessio finis ultimi compatitur, ut sunt videre & amare. Circa primos, beati liberum arbitrium exercere non possunt: nam fides & spes locum non habent in cælo, in quo summum bonum clarè videtur, & in æternum possidetur. At circa secundos, beati liberum arbitrium exercere possunt: nam videre & amare non excluduntur per præsentiam summi boni, imò per illa beatus summo bono conjungitur. Unde non repugnat beatum in cælo exercere actus visionis & amoris, & eos liberè atque ex propria electione exercere circa innumera objecta, alia à Deo, quæ videnti vel amandi nullam necessitatem habent. Unde quoties illa videbit vel amabit, videbit vel amabit ex propria determinatione & electione.

Dices 2. S. Thomas in 3. dist. 18. q. un. ar. 2. ad 5. docet ad meritum, ac proinde ad libertatem arbitrii sufficere immunitatem à coactione. Nam sic ait: *Liberum arbitrium Christi Domini, si esset determinationem ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest, tamen ex hoc non amittit libertatem, neque rationem laudis, sive meriti, quia in illud non coactè, sed spontè tendit, & ita est actus sui dominus.* Ergo, &c. R. neg. ant. Ad prob. R. S. Thomam per illud, non coactè sed spontè, intelligere immunitatem à quacumque antecedenti necessitate, etiam ea, quæ simplex necessitas dicitur; ut manifestum est ex his ejusdem verbis, *Et ita est actus sui dominus.* Nam ad tale dominium manifestè requirit pluribus in locis incommunitatem à simplici necessitate, ut 1. in ipso articulo citato, ubi in O. dicit, quod ea, quæ agunt per necessitatem naturæ, non merentur, quia scilicet non habent dominium sui actus, quantumvis non ex violenta, sed ex voluntaria necessitate agant. 2. Lib. 1. contra Gent. cap. 68. ubi sic ait: *Dominium, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate, velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum.* 3. 1. p. q. 82. a. 1. ad 3. ubi ita loquitur: *Sumus domini nostrorum actuum, secundum quod possumus hoc vel illud eligere. Electio autem non est de fine... unde appetitus ultimi finis non est de his, quorum domini sumus.* Certè finem ultimum appetimus non coactè, sed spontè, in sensu adversariorum, & tamen appetitus finis ultimi, secundum Doctorem Angelicum, non est de iis, quorum domini sumus, quia scilicet est ex antecedenti voluntatis ad unum determinatione. Sensus igitur Angelici Doctoris, loco qui nobis objicitur, est, voluntatem Christi, licet fuerit anteedenter determinata ad amandum Deum, non idcirco libertatem arbitrii, neque rationem laudis vel meriti amisit circa actum diligendi Deum, quatenus ex hujus actus imperio potuit ad placendum Deo hos vel illos actus exercere pro arbitrio, & absque antecedenti ad unum potius quam ad alium determinatione. Voluntas igitur Christi, in sensu S. Thomæ, non coactè, sed spontè tendebat in Deum, quem non poterat non amare, quia sic amabat Deum necessariò, ut actus, quos ad placendum Deo exercebat, non necessariò exercebat, sed ex propria determinatione & electione: cum inter diversos actus, quibus Deo placere poterat, posset, quos velle, eligere & exercere ad placendum Deo. Unde voluntas Christi cum amore Dei necessariò retinebat libertatem arbitrii, & rationem laudis ac meriti.

Dices 3. S. Thomas q. 10. de potentia, a. 2. & 5. sic loquitur: *Naturalis necessitas, secundum quam voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat. Libertas enim voluntatis violentiæ vel coactioni opponitur.* Resp. S. Doctorem hic loqui de libertate spontaneitatis, non de libertate arbitrii, secundum quam voluntas est actuum suorum domina. Hic enim loquitur de ea libertate, quia voluntas liberè appetit felicitatem, ut patet ex iis, quæ verbis citatis subiciuntur. Appetitus autem felicitatis non est liber voluntati libertate arbitrii, sed spontaneitatis tantum, ut pluribus locis expressè docet

docet S. Thomas. Eodem redit, si dicatur S. Doctor loqui de libertate voluntatis, ut natura est, non ut voluntas est. Voluntas igitur potest cum S. Doctore considerari dupliciter, ut natura, & ut voluntas. Ut natura, est ad unum determinata: ut voluntas, est activè indifferens ad opposita, & actuum suorum domina. Unde libertati voluntatis, ut natura est, sola violentia opponitur. At verò libertati voluntatis, ut voluntas est, opponitur non solum violentia, sed etiam simplex necessitas. Quòd autem S. Doctor loquatur de libertate voluntatis, quia natura est, patet ex eo quòd hic agatur de processione Spiritus sancti, & de libertate, qua procedit Spiritus sanctus à voluntate divina. Spiritus autem sanctus non procedit à voluntate divina, ut est facultas actuum suorum domina, sed ut est facultas ad unum determinata; & ita Spiritus sanctus non procedit à voluntate divina, ut voluntas est, sed ut est natura, proindeque non procedit à voluntate divina liberè, nisi ea libertate, quæ voluntati competit, quæ natura est, quæ libertas non est alia, quàm libertas spontaneitatis.

Dices 4. S. Thomas ad laudem & vituperium requirit solum voluntarium & spontaneum. Nam sic loquitur 1. 2. q. 6. a. 2. ad 3. *Laus & vituperium consequuntur actum voluntarium secundum perfectam voluntarii rationem.* Ergo ad libertatem arbitrii solum requiritur voluntarietatem & spontaneitatem. R. S. Doctorem per voluntarium secundum perfectam rationem voluntarii intelligere illud, quod fit ex prævia deliberatione; sic enim loquitur in O. *Perfectam cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem perfectam, prout scilicet apprehenso fine, aliquis potest deliberans de fine, & de his que sunt ad finem, moveri in finem vel ut moveri.* Quod autem fit ex prævia deliberatione, juxta S. Doctorem, & rei veritatem, fit sine antecedenti determinatione ad unum. Cum enim ratio deliberans se habeat ad opposita, voluntas agens ex prævia deliberatione, agit cum activa indifferencia ad opposita. Unde homo ex eo, quòd deliberare potest de actibus suis, habet, ut de illis pro arbitrio disponere possit, & ita habet, ut sit illorum dominus. Ex hoc contingit, inquit S. Doctor ad 2. quòd homo est dominus sui actus, quòd habet deliberationem de suis actibus: ex hoc enim quòd ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas in utrumque potest. Voluntarium igitur secundum perfectam rationem voluntarii est illud, juxta mentem S. Doctoris, quòd fit à voluntate sine antecedenti ad unum determinatione. Hinc voluntarium non nisi secundum imperfectam voluntarii rationem convenit beatiss, quia sunt ad unum determinata, nec apprehenso fine deliberant, sed subito moventur in ipsum, ut dicit S. Doctor in O. Igitur S. Doctor ad laudem & vituperium, & consequenter ad libertatem arbitrii requirit immunitatem ab antecedenti determinatione ad unum.

### ARTICULUS V.

*Solvuntur objectiones perite à ratione.*

**O**bj. 1. Liberi arbitrii ratio sita est in eo, quòd actus nostros habeamus in nostra potestate. Atqui omnes actus nostri, hoc ipso, quòd sunt voluntarii & spontanei, sunt in nostra potestate, etiam si sint necessarii. Ergo coactio, non verò necessitas simplex, repugnat libero arbitrio. R. negando min. quæ 1. est contra communem mortalium omnium sensum, 2. Repugnat evidentri rationi. Illud enim solum & omne est in nostra potestate, de quo possumus pro arbitrio disponere, & consequenter illi omnes & soli actus sunt in nostra potestate, quos possumus pro arbitrio producere vel non producere. Non possumus autem pro arbitrio producere vel non producere actus illos, quos ex antecedenti & ineluctabili necessitate intrinseca producimus; ut per se manifestum est.

Dices. Idem iudicium esto de omnibus aliis actibus necessariis, ac de amore beatifico. Atqui voluntas habet in potestate sua amorem beatificum, quò necessariò diligit Deum, Ergo, &c. Neg. min. *Prob.* Quia voluntas beati potest suspendere amorem beatificum: nam si beatus non veller Deum amare, non amaret. Ergo, &c. R. neg. ant. Voluntas enim non potest suspendere actum, quem necessariò exercet: nam eatenus necessariò exercet, quatenus ita exercet, ut non possit non exercere. Manifestum autem est voluntatem non posse suspendere actum, quem ita exercet, ut non possit non exercere.

*Ad prob. ant. R. 1.* Quòd eodem modo probaretur, beatum admittere posse gravissima quæque scelerata: quàm enim verè de illo dicitur: Si veller Deum non amare, Deum non amaret; tam etiam verè de illo dici potest: Si veller Deum odisse, Deum odisset; si veller blasphemare, blasphemaret, &c. Similiter eodem modo probaretur, Deum posse mentiri, posse se ipsum odisse. Nam tam verè de Deo dicitur: Si veller mentiri, mentiretur; si veller se ipsum odisse, se ipsum odisset; quam verè dicitur de beato: Si veller Deum non amare, Deum non amaret. Hæc autem omnia sunt evidenter intolerabilia, falsa & absurda, nempe quòd Deus possit mentiri, & se ipsum odisse; quòd beatus possit odisse Deum, & blasphemare. Ratio à priori est, quia quòd non est possibile, nisi sub conditione impossibili, non est possibile, sed impossibile. Deum autem mentiri, & se ipsum odisse, non est possibile, nisi sub conditione impossibili, nempe quòd velit mentiri, & se ipsum odisse. Item beatus blasphemare, & Deum odisse, non est possibile, nisi sub hac conditione, nempe si velit blasphemare, & Deum odisse, quæ conditio impossibilis est beato, stante beatitudine. Hinc

R. 2. neg. prob. Nam hæc propositio, Si beatus veller non amare Deum, Deum non amaret, est falsa; quia in hac propositione, juxta communem & ab omnibus receptissimum loquendi usum, enunciat non solum connexio consequentis cum antecedente, sed etiam possibilitas antecedentis, ut sibi unusquisque nostrum conscius est, cum ait v. gr. Si vellem, amarem; si vellem, odissem, &c. Unde ad veritatem hujus propositionis non sufficit, ut consequens sit connexum cum antecedente, sed præterea requiritur, ut antecedens sit possibile. Cum igitur in presenti casu antecedens non sit possibile; beatus enim non potest non velle amare Deum; propositio falsa est, & nugatoria.

Dices 2. Omnis volitio est essentialiter in potestate voluntatis. Ergo, &c. Neg. ant. *Prob.* Illud est in nostra potestate, quòd fit, cum volumus. Sed nulla volitio fieri potest, nisi cum volumus. Ergo, &c. R. dist. maj. Illud est in nostra potestate, quòd fit cum volumus ex propria determinatione & electione, cum volumus, & ita volumus, ut possumus non velle, quia scilicet non sumus antecederet magis determinati ad volendum, quàm ad non volendum, C. maj. Secus, N. maj. Nam si ita volumus, ut non possumus non velle, propter ineluctabilem necessitatem volendi hic & nunc, non possumus suspendere seu cohibere volitionem nostram, & ita volitio nostra non est in potestate nostra.

*Obj. 2.* Si liberum arbitrium consistit essentialiter in indifferencia agendi vel non agendi, habitus omnes, sive boni, sive mali, repugnant libero arbitrio. Absurdum conseq. Nam si habitus repugnant libero arbitrio, quò quis intensioribus habitibus in bono vel malo radicans est, eò minus meretur, vel demeretur: quòd est absurdum. R. liberum arbitrium consistere in indifferencia activa, seu in facultate se ipsum determinandi ad volendum vel non volendum, ad agendum vel non agendum, non verò in indifferencia propensionis. Habitus autem, sive boni, sive mali, tollunt quidem indifferenciam propensionis, quæ, cum sita sit in æquilibrio, tollitur per idem, quòd in alterutram partem impellit: at non tollunt, neque minuunt indifferenciam activam, quia

*Utrum potentia peccandi sit de ratione liberi arbitrii.*

RESPONSIO.

Potentia peccandi non est de ratione liberi arbitrii.

*Prob.* autoritate Patrum, & 1. quidem S. Augustini libr. de corr. & grat. c. 11. ubi sic loquitur: *Quid erit liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato, quæ futura erat & homini, sicut facta est & Angelis sanctis merces meriti? ... Prima libertas voluntatis erat, posse non peccare: novissima erit multo major, non posse peccare.* Certè si, sublata potentia peccandi, non modò non tollitur aut minuitur liberum arbitrium, sed è contra & liberius & perfectius evadit, potentiam peccandi extra totam liberi arbitrii rationem esse necesse est. 2. S. Anselmi in dialogo de lib. arb. c. 1. ubi sub nomine Magistri sic ait: *Libertatem arbitrii non puto esse potentiam peccandi & non peccandi. Quippe si hoc ejus esset definitio, nec Deus, nec Angelus, qui peccare nequeunt, liberum haberent arbitrium, quod nefas est dicere.* Et inferius: *Nec libertas, nec pars libertatis est peccandi potestas.* Ex quibus sic obiter arguuntur. Tota ratio essentialis liberi arbitrii reperitur in Deo & Angelis beatis, nec tamen in illis reperitur peccandi potestas. Ergo, &c. 3. Aliorum Patrum, qui docent liberum arbitrium esse eximiam illam perfectionem, secundum quam homo ad imaginem Dei conditus est. Nam homo non est conditus ad imaginem Dei secundum potestatem peccandi, & consequenter ratio objectiva potestatis peccandi non est ratio objectiva liberi arbitrii.

*Prob.* 2. autoritate S. Thomæ in 2. dist. 25. q. un. a. 1. ad 2. ubi sic loquitur: *Ad rationem liberi arbitrii non pertinet, ut indeterminatè se habeat ad bonum vel ad malum: quia liberum arbitrium per se in bonum ordinatum est; cum bonum sit objectum voluntatis, nec in malum tendat, nisi propter aliquem defectum, quia apprehenditur ut bonum, cum non sit, voluntati, aut electio nisi boni, aut apparentis boni. Et ideo ubi perfectissimum est liberum arbitrium, ibi in malum tendere non potest, quia imperfectum esse non potest. Sed hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere vel non facere possit; & hoc Deo convenit: bona enim, quæ facit, potest non facere, nec tamen malum facere potest.* Itaque potentia peccandi non est de ratione liberi arbitrii; quia liberum arbitrium ex natura sua ordinatur ad bonum: nam electio, quæ est actus proprius liberi arbitrii, non est nisi boni, veri scilicet, vel apparentis. Unde liberum arbitrium nunquam tenderet, aut etiam tendere posset in malum, nisi apprehenderetur ut bonum. Quod autem malum apprehendatur ut bonum, per accidens est respectu liberi arbitrii, & provenit ex defectu intellectus, qui in hac vita errare potest; & ita quod liberum arbitrium in homine viatore possit deficere, eligendo malum, quod ut bonum apprehenditur, accidentale est respectu totius rationis essentialis liberi arbitrii, quæ in eo præcisè consistit, quod voluntas possit hoc bonum particulare velle vel non velle, & inter hæc bona particularia, hoc vel illud velle.

*Obj.* 1. Potentia peccandi est virtus aliqua. Non nisi liberi arbitrii. Ergo est liberum arbitrium, vel pars illius. R. potentiam peccandi non esse virtutem aliquam, sed solum defectibilitatem alicujus virtutis, nempe liberi arbitrii, ejus perfectioni essentiali planè accidentalem, quæ defectibilitas est aliquid purè negativum; unde, ea superaddita, nihil positivum superadditur, & ea detracta, nihil positivum detrahitur libero arbitrio, quod proinde semper manet idem quod totum positivum, quo constituitur, sive sit defectibile, sive non. Vel, si vis, potentia peccandi est virtus aliqua, nempe liberum arbitrium, non quidem præcisè sumptum quæ liberum arbitrium, sed quæ defectibile. Unde potentia peccandi supra liberum arbitrium dicitur aliquid merè negativum, quod toti ejus rationi essentiali accidentale est, &

Z 2 quod

quia sic infectum in unam partem, ut non determinant ad unum: unde cum illis manet facultas agendi vel non agendi, expedita ad utrumlibet. Ea autem manente, manet rota indifferentia activa. Hinc nec meritum, nec demeritum tollunt, aut minuant habitus; imò verò meritum vel demeritum eò majus est, quòd habitus boni vel mali intensiores sunt, quia tunc eò intensius in bonum vel malum fertur voluntas liberè & sine antecedenti ad unum determinatione.

*Obj.* 3. Amor beatificus, quantumvis necessarius, liber est libertate arbitrii. Ergo, &c. N. ant. *Probabis.* 1. Voluntas beati, amando Deum, agit ex prævia cognitione intellectus perfectissima, & sic modum agentium naturalium supergreditur. 2. Voluntas beati, amando Deum, se ipsam mover. 3. Amor beatificus est actus humanus. 4. Incredible est, quòd intellectus perfectissima & splendidissima operatione, qualis est visio beatifica, eripiat voluntati liberum arbitrium, eamque ad modum & imperium agendi brutalem deiciat.

R. ad 1. Hoc non sufficere, ut actus voluntatis sit liber libertate arbitrii; sed requiri ut voluntas agar suæ atcedenti ad agendum determinatione, & consequenter requiri, ut voluntas agar ex prævia cognitione intellectus proponente objectum indifferenter, hoc est, partim sub ratione boni, partim sub ratione mali.

R. ad 2. negando. Quia, ut docet S. Thomas, voluntas non mover se ipsam, nisi cum est domina sui actus; & non est domina sui actus, nisi cum potest pro arbitrio illum exercere, vel suspendere. Hoc autem non potest, cum producit illum ex antecedenti necessitate, & sic actus ejus necessarius est.

R. ad 3. negando. Nam, ut ait S. Thomas 1. 2. q. 1. ar. 1. in O. *Ille sola actiones vocantur proprie humane, quarum homo est dominus, & quæ ex voluntate deliberata procedunt.* Voluntas autem beati non est domina actus, quo Deum amat, nec producit illum ex prævia deliberatione, sed ad illum rapiat à summo bono, clarè, ut in se est, viso.

R. ad 4. Intellectum per visionem beatificam non eripere voluntati liberum arbitrium in ordine ad omnia objecta. Voluntas enim beati potest adhuc inter multa bona particularia hoc vel illud eligere, & multa bona particularia eligere, vel non eligere. Præterea, sic intellectus per visionem beatificam eripit liberum arbitrium, vel potius impedit usum liberi arbitrii circa Deum, ut hæc jactura abundè compensetur; tum quia amor beatificus non solum intensior, sed etiam specificè perfectior est, quàm amor ille, quo Deum in hac vita diligimus; tum quia modus amandi Deum necessariò & ex prævia cognitione, divinam bonitatem clarè ostendente, absolute melior & præstantior est, quàm modus amandi liberè, & ex prævia cognitione fidei obscura, & imperfectè tantum ostendente bonitatem divinam; ut patet in Deo, se ipsum amante necessariò, & ex cognitione bonitatis suæ perfectè comprehensiva. Unde voluntas per visionem beatificam non deprimitur ad modum agendi brutalem, dum per eam ad amandum Deum necessitur, & ita usu liberi arbitrii spoliatur circa Deum; sed è contra à naturali inconstancia & flexibilitate, ad perfectissimam divini amoris participationem, & modum operandi nobilissimum traducitur.

*Dices.* Modus operandi necessariò dicit magnam imperfectionem, & est modus agendi proprius brutorum. R. dist. Modus operandi necessariò in omnibus & ex cognitione imperfecta, dicit, &c. C. Modus operandi necessariò circa objectum præstantissimum, nempe circa summum bonum, perfectè & clarè, ut in se est, cognitum, dicit, &c. N.

quod proinde abesse potest sine illius diminutione, sicut potest advenire sine illius augmentatione.

*Obj. 2.* Scriptura & Patres interdum describunt liberum arbitrium per indifferentiam ad bonum & malum, R. tunc Scripturam & Patres describere liberum arbitrium, non per id quod illi essentialiter est, sed per merum statum illi accidentalem, quem scilicet ordinariè habet in hominibus viatoribus. *Nota obiter.* Possesse peccare, est status purus & contingens liberi arbitrii in viatoribus. Unde etiam dato quod posse peccare, formaliter sumptum, sit aliquid positivum, adhuc est extra totam essentiam liberi arbitrii. Quod breviter ostendo hoc argumento. Status purus & contingens rei est extra totam essentiam rei. Sed posse peccare, est status purus & contingens liberi arbitrii, quem scilicet liberum arbitrium ordinariè habet in viatoribus. Ergo posse peccare, est extra totam essentiam liberi arbitrii. Majorem suppono ut notam ex terminis. Minor facile ostenditur. Nam 1. posse peccare, est quidam modus se habendi liberi arbitrii. Ergo est status illius. 2. Posse peccare, nihil entitatis superaddit libero arbitrio. Ergo est purus illius status. 3. Liberum arbitrium potest etiam in viatoribus esse impeccabile. Ergo posse peccare, est status illius contingens.

*Obj. 3.* Vis eligendi ex diversis mediis hoc vel illud, aut unum & idem medium accipiendi vel respuendi, servato ordine finis, non est libertas arbitrii adæquatè sumpta. Ergo potentia peccandi est pars illius. R. neg. ant. vel, si vis, dist. Non est libertas arbitrii adæquatè sumpta, hoc est, non est libertas arbitrii secundum id totum, quod illi competit essentialiter. Neg. ant. Non est libertas arbitrii adæquatè sumpta, hoc est, non est libertas arbitrii secundum id totum, quod illi competit tam essentialiter ratione propriæ virtutis & perfectionis, quam accidentaliter ratione status puri & contingentis, quem ordinariè habet in viatoribus. C. ant. Nam libertas arbitrii, sic sumpta, prætea vim eligendi ex diversis mediis, &c. includit defectibilitatem, seu posse deficere in electione mediorum, quod est purus modus & contingens libertatis arbitrii, & sine quo modo proinde potest esse tota ratio essentialis libertatis arbitrii.

#### ARTICULUS VII.

*Utrum ad merendum & demerendum in presenti statu, requiratur libertas indifferentiæ, hoc est, immunitas ab antecedenti ad unum determinatione intrinseca.*

##### RESPONSIO.

**A**D merendum & demerendum in presenti statu, requiritur libertas indifferentiæ. Est de fide contra Janenium.

*Prob. 1.* ex Script. Nam Eccli. c. 31. dicitur: *Beatus... qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino, &c.* Quibus verbis Scriptura laudat meritum morale & rationem meriti repetit, non ex eo præcisè quod quis non transgrediatur mandata, nec mala faciat, sed ex eo quod non transgrediatur mandata, cum posset transgredi, nec mala faciat, cum posset facere; hoc est, ex eo quod sine antecedenti necessitate mandata servandi & mala vitandi, nihilominus mandata servet, & vitet mala.

*Prob. 2.* ex Patribus, nempe ex S. Irenæo lib. 4. contra hæres. c. 71. *Dedit, inquit, Deus bonum... & qui operantur quidem illud, gloriam & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possint non operari illud: hi autem, qui illud non operantur, iudicium iustum recipiunt Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possint operari illud.* Et c. 72. *Quoniam omnes, inquit, ejusdem sunt nature, & potentes retinere & operari bonum, & potentes rursum amittere id, & non facere, iuste etiam apud homines sensatos, quanto magis apud Deum, alii quidem laudantur, & dignum percipiunt testimonium electionis bonæ & perseverantiæ; alii vero accusantur, & dignum percipiunt damnum, eo quod iustum & bonum reprobave-*

*runt.* Ex Eusebio lib. 6. de præparatione e. 6. *Sublato, inquit, libero arbitrio, jacebit omnis philosophia, jacebit pietas, nulla erit laus virtutis, nullus fructus laboris, nec puniendi erunt improbi, nec admirandi studiosi, ... nullum meritum, nulla laus, nec virtus erit, nec vitium, si non libera voluntate, sed necessitate factorum opera nostra sunt.* Eusebium autem hic loqui de necessitate etiam voluntaria, patet ex eo quod ii, quos impugnatur, non aliam in actus nostros à fati derivari volebant.

Ex S. Chrysostomo hom. 22. in Genesim. *Nonne manifestum est, inquit, sua quemvis voluntate vel malitiam vel virtutem eligere? Nam nisi ita esset, & natura nostra potestas instita esset, neque illos puniri, neque istos virtutum retributiones accipere oportebat. Verum quia in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est, ideo & peccantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus retributiones.* Ex S. Hieronymo lib. 2. contra Jovinianum, ubi sic ait: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est.* Et ex S. Damasceno lib. 2. de fide c. 26. ubi hæc habet: *In nobis sunt ea, quorum liberam adepti potestatem sumus facere & non facere... que sequitur laus aut vituperatio.*

*Prob. 3.* autoritate summorum Pontificum, & 1. quidem Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. à quibus damnata est hæc Baii propositio: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.* Cujus proinde contradictoria: *Homo non peccat damnabiliter in eo, quod necessario facit,* tanquam vera accipienda est. 2. Innocentii X. Alexandri VII. & Clementis XI. qui hanc Janenii propositionem, *Ad merendum & demerendum in statu nature lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione,* damnarunt ut hæreticam.

*Prob. 4.* autoritate S. Thomæ q. 6. de malo ar. un. in O. ubi ita loquitur: *Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquod eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogere-tur: non enim omne necessarium est violentum, sed solum id, cujus principium est extra... Hæc autem opinio est hæretica: tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus: non enim videtur esse meritorium vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit, &c.*

*Prob. 5.* ratione pro merito. Ad rationem meriti essentialiter requiritur, ut actio, qua meremur, sit nostra, ut illam dare possimus, velut pretium pro præmio. Atqui requiritur libertas indifferentiæ ad hoc, ut actio sit nostra, & illam dare possimus tanquam pretium pro præmio. Ad hoc enim requiritur, ut actio sit in potestate & dominio nostro, sic ut possumus de illa pro arbitrio disponere, & illam dare vel non dare pro arbitrio. Ergo ad rationem meriti essentialiter requiritur libertas indifferentiæ. Hoc argumentum suggerit S. Thomas q. 29. de veritate a. 6. in O. ubi sic ait: *Per actum proprium quis mereri non potest, nisi sit dominus sui actus; sic enim suum actum quasi pretium pro præmio dare potest. Est autem quis dominus sui actus per liberum arbitrium. Unde naturalis facultas liberi arbitrii requiritur ad merendum.* Quod autem S. Doctor ad liberum arbitrium requirit activam indifferentiam, suo loco demonstratum est.

*Prob. 6.* ratione pro demerito. Homo demereri non potest, nisi peccando. Atqui homo peccare non potest sine libertate indifferentiæ. Ergo, &c. *Prob. min.* Omne peccatum est contra obligationem aliquam moralem; & ita homo non peccat, nisi agendo contra obligationem aliquam moralem. Atqui homo sine libertate indifferentiæ non potest agere contra obligationem moralem; nam, ut lumine naturali notum est, nec datur, nec dari potest in homine obligatio moralis ad impossibile, & ita homo nec agit, nec agere potest contra obligationem moralem, nisi aut operando malum, quod potest non operari, aut non operando bonum, quod potest operari, hoc est, nisi aut operando malum, aut bonum non

opc-

operando cum libertate indifferentia. Ergo homo sine libertate indifferentia nec peccat, nec peccare potest.

*Confirm.* Ibi non est demeritum, ubi non est peccatum. Atqui ubi non est libertas indifferentia, ibi non est peccatum. Ergo, &c. *Prob. min.* Ibi non est peccatum, ubi id, quod fit, non potest non fieri, aut id quod omittitur, non potest non omitti. Atqui ubi non est libertas indifferentia, ibi id, quod fit, non potest non fieri, & id quod omittitur, non potest non omitti. Ergo, &c. *Prob. maj.* Nam ibi non est peccatum, ubi Deus nihil exigit, nihil precipit, ubi id, quod fit, non potest non fieri, aut id, quod omittitur, non potest non omitti. Deus enim, ut ait Trid. sess. 6. c. 11. *impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuvat, ut possis; cuius mandata gravia non sunt, cuius iugum suave est, & onus leve.* Ergo, &c.

*Dices,* cum Novatoribus: Impossibilitas servandi mandata divina nec excusat, nec excusare potest, si nobis voluntaria est. Atqui nobis voluntaria est. Ergo cum impossibilitate servandi mandata divina, & consequenter cum antecedenti necessitate faciendi id, quod est omittendum, aut omittendi id, quod est faciendum, verè peccamus. Ergo ad peccandum necessaria non est immunitas ab antecedenti necessitate faciendi id, quod omittendum, aut omittendi id, quod faciendum est. R. 1. dist. majorem. Impossibilitas servandi mandata divina nec excusat, nec excusare potest: si nobis voluntaria est, sic ut possumus illam pro arbitrio tollere, vel non tollere. C. seq. maj. Si nobis voluntaria est, ita tamen ut non possumus pro arbitrio illam tollere. N. seq. maj. Itaque si mandata divina nobis servatu impossibilia sunt, & ita impossibilia, ut hanc impossibilitatem non possumus tollere, per hanc impossibilitatem excusamur à peccato, cum mandata divina transgredimur: nemo enim peccat in eo, quod cavere non potest, ut ait S. Augustinus.

R. 2. neg. min. 1. Quia est de falso supponente: supponit enim quod falsum est & contra fidem, nempe quod mandata divina nobis sint observatu impossibilia. 2. Quia, dato quod nobis observatu impossibilia sint, falsum est, quod nobis sit voluntaria, saltem quantum ad imputabilitatem requiritur, hæc impossibilitas. Nam si nobis voluntaria est, certè, ut aiunt Novatores, in culpa Adami, quæ est moraliter nostra. Atqui hoc dici non potest. Nam necessitas moriendi, ægrotandi, patiendi motus inordinatos concupiscentiæ, & habendi aliquos defectus naturales tam corporis, quam animi, tam est effectus culpe Adami, quam præterita impossibilitas divinorum mandatorum, & tamen necessitas illa nobis voluntaria non est in culpa Adami, saltem quantum oportet ad imputabilitatem: non enim imputatur nobis à Deo, quod moriamur, quod aliquando ægrotemus, cum sine ulla nostra personali culpa ægrotamus; quod patiamur inordinatos motus concupiscentiæ, cum eos inviti patimur: item huic non imputatur à Deo, quod nascatur cæcus, aut isti quod nascatur claudus, aut illi quod nascatur amens, &c. Ergo præterita divinorum mandatorum impossibilitas non est nobis voluntaria in Adami culpa, saltem quantum oportet ad imputabilitatem.

R. denique 3. Dato non solum, quod mandata divina nobis sint observatu impossibilia, sed etiam quod hæc impossibilitas etiam sufficienter ad imputabilitatem nobis sit voluntaria in culpa Adami, vel hanc impossibilitatem tollere possumus, vel non. Si primum, non affert necessitatem antecedentem, & sic cum illa manet libertas indifferentia circa observationem mandatorum divinorum, quæ proinde non observando, peccamus & demeremur. Si secundum, tandiu quidem Deus nobis imputare potest, quod ejus mandata servare non possumus, quandiu originalis culpa nobis per baptismum in te susceptum, aut

*Simonnet Theol. Tom. I.*

alia via non remittitur: at minime potest imputare mendacia, furta, sacrilegia, &c. quæ ex tali impossibilitate admittimus. Ratio est, quia Deus non potest precipere impossibilia, etiam cum hæc impossibilitas oritur ex aliqua nostra culpa personali, si non est in nostra potestate, ut eam tollamus, vel non tollamus pro arbitrio. Sic si quis sibi ipse eruat oculos, ne Breviarium recitet, Deus poterit quidem illi imputare, quod sibi oculos eruerit, & eruido, sibi Breviarii recitationem impossibilem effecerit; at non poterit exigere ab eo, eique precipere, ut, erutis oculis, Breviarium recitet; quod vel solo lumine naturæ notum est.

## ARTICULUS VIII.

*Utrum in presenti statu naturæ lapsæ homo habeat libertatem indifferentia circa bonum & malum.*

## RESPONSIO.

**E**tiam in presenti statu naturæ lapsæ homo habet libertatem indifferentia circa bonum & malum ita ut bene vel malè operetur pro arbitrio, & absque antecedenti ad unum determinatione intrinseca. Est de fide contra Lutherum & Calvinum, quos sequitur Janfenius, qui cum illis docet, hominem in presenti statu nunquam bonum aut malum operari ex propria determinatione, sed solum spontè, prout à delectatione cælesti ad bene, vel à delectatione terrena ad malè agendum prædeterminatur.

*Prob. ex Scrip.* Nam 1. Genesi. c. 4. Deus Cain sic alloquitur: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies (mercedem,) sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit: sed sub te erit appetitus ejus (peccati,) & tu dominaberis illius (appetitus scilicet ad peccatum allicientis.)* Hæc autem verba ad hominem in statu naturæ lapsæ existentem diriguntur, & in eis multa ad rem nostram occurrunt ponderanda, & 1. quidem illud, *Quare irasceris?* quod aperte significat Cainum potuisse non irasci adversus fratrem suum Abelem, nec eum odisse: non enim dicimus homini v. gr. *Quare non volas?* quia scimus hominem non posse volare, quantumcumque id velit. 2. Illud, *Si bene egeris, recipies, sin autem malè, &c.* Quod etiam aperte significat facultatem se ipsum determinandi ad bonum vel ad malum: non enim dicimus v. g. homini cæco: *Si solem videris, mercedem recipies, sin minus, &c.* quia scimus hominem cæcum non posse pro arbitrio videre vel non videre solem. 3. Illud, *Sub te erit appetitus peccati, & tu dominaberis appetitui ad peccatum allicienti;* quo nihil expressius dici potest contra necessitatem peccandi, cum peccatur: si enim homo, quando peccat, necessariò peccat, manifestum est ipsi non subesse appetitum peccati, sed potius appetitui peccati ipsum subesse: neque ipsum dominari appetitui peccati, sed potius appetitum peccati ipsi dominari: nam eatenus homo dici potest dominus appetitus peccati, quatenus potest pro arbitrio illi cedere vel non cedere, quatenus potest illi non obsequi, & si obsequitur, ex propria determinatione obsequitur.

2. Deuter. cap. 30. Moyses sic alloquitur Israelitas: *Testes invoco hodie cælum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhaereas.* Eodem Israelitas simili modo adhortatur Josue cap. 24. ubi sic ait: *Nunc ergo timeate Dominum, & servite ei perfectò corde atque verissimo, & auferet Deus, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia & in Egypto, ac servite Domino: sin autem malum vobis videtur ut Domino serviat, optio vobis datur: Eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis, utrum diis, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis: Ego autem & domus mea serviemus Domino. Quæ Moyses & Josue adhortationes, ut per se manifestum est,*

*Z 3 non*

non potuerunt serio dirigi, nisi ad homines planè immunes ab antecedenti live ad bonum live ad malum determinatione intrinseca.

3. Eccli. c. 15. dicitur: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui, Adjecit mandata & precepta sua: Si volueris mandata servare, conservabunt te... Apposuit tibi aquam & ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Quibus verbis luculenter exprimitur libertas indifferentiæ circa bonum & malum, hominique, etiam lapso, attribuitur. Nam quod ibi Scriptura loquatur de libertate hominis etiam in statu nature lapsæ, patet 1. ex antecedentibus, ubi hominem lapsum alloquitur, & adhortatur Ecclesiasticus, 2. Ex S. Augustino, qui hunc locum lib. de grat. & lib. arb. cap. 2. allegat ad probandam libertatem hominis lapsi, & eo recitato, sic exclamat: *Ecce apertissime videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium.*

*Prob. ex Patribus.* 1. S. Irenæus lib. 4. contra hæreses c. 9. sic ait: *Homo rationalis, & secundum hoc similis Deo, liber in arbitrio factus, & suæ potestatis, ipse sibi causa est, ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat.* Certe qui suæ potestatis est, qui sibi ipse causa est, ut modò frumentum sit per bona opera, modò palea sit per opera mala, non subiacet antecedenti necessitati; non ex antecedenti necessitate, sed ex propria determinatione modò bonum, modò malum operatur.

2. Origenes in præmiq. libri 1. Periarchon, hæc habet: *Est & illud definitum in ecclesiastica prædicatione, omnem animam rationabilem esse liberi arbitrii & voluntatis... Unde & consequens est intelligere, non nos necessitati esse subiectos, ut omnimodo, etiamsi nolimus, vel bona vel mala agere cogamur. Si enim nostri arbitrii sumus, instigare fortasse possunt aliquæ virtutes ad peccatum, & aliæ juvare ad salutem: non tamen necessitate cogimur vel agere recte, vel male. Quod fieri arbitrantur, qui stellarum cursum & motus causas dicunt humanorum esse gestorum, non eorum que extra arbitrii accidunt libertatem, sed eorum que in nostra sunt posita potestate. Quod autem hic Origenes à libertate arbitrii excludat omnem antecedentem necessitatem, etiam voluntariam, & sic homini lapso attribuat libertatem indifferentiæ circa bonum & malum, & attribuat tanquam rem fide certam, patet 1. ex toto textu. 2. Ex eo quod Origenes loquatur contra eos, qui omnes actus nostros, etiam illos, qui dicuntur esse positi in nostra potestate, stellarum motibus attribuebant, tanquam causas, non vim affectu, nam ne id quidem somniarunt unquam; sed antecederet ad unum intrinsecè alliganti, nec spontaneitatem, quam ipsi experiebantur, sed solam activam indifferentiam excludenti.*

3. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem c. 6. ita loquitur: *Tota libertas arbitrii in utramque partem concessa est illi (homini), ut sui dominus constanter occurreret, & bono sponte servando, & malo sponte vitando.* Ubi per *sponte*, idem intelligit ac, ex propria determinatione, ex propria electione: alioqui perperam dicit homini libertatem arbitrii in utramque partem concessam esse, hominem sui dominum esse; qui enim necessitati, etiam voluntariæ, subiectus est, certè sui dominus non est.

4. S. Hilarius enarratione in Psal. 2. sic ait: *Uniquique nostram libertatem vita sensumque permisit (Deus) non necessitatem in alterutrum affigens... Quid honoris ac præmii bonitatis necessitas mereretur; cum malos nos esse vis quadam nobis conferta non sine? Voluntati ergo permessa bonitas est, ut præmium sibi voluntatis bonitatis acquireret... Penam devotæ & contemptæ bonitatis adjecit, ut cum libertatem nobis voluntatis ad bonitatem promerendam reliquisset, quia meritum nature necessitas non haberet, libertatem ipsam quotidie propositus è contrario pœne terror argueret.* Quibus verbis apertè declarat S. Hilarius Deum noluisse, ut homo, etiam lapsus, subiaceret necessi-

ti, etiam voluntariæ, qualis profectò esset naturalis necessitas, ut posset ex propria determinatione & electione bonum operari, & sic bonum operando mereri.

Porrò cum laudatis Patribus idem planè sentiunt circa libertatem hominis lapsi ceteri omnes, ut ingenue fatetur Calvinus, in quo sanè sinceritate & æquitate superior est Jansenio, qui omnes ferè Patres sui erroris patronos facit, eorumque testimonia, etiam ea, quæ sibi adversantur vel maximè, non cunctatur pro sua sententia proferre.

*Prob. ex Conc. Trid.* Nam sess. 6. cap. 1. declarat in homine lapso liberum arbitrium minimè extinctum fuisse, *viribus licet attenuatum & inclinatum*, Et Can. 5. sic pronunciat: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit... anathema sit.* His autem locis sententiam Lutheri & Calvini circa libertatem hominis lapsi dampnari à Synodo, nemo est qui dubitet. Unde sic argumentor. Synodus his locis eam libertatem attribuit homini lapso, quam negabant Lutherus & Calvinus negando liberum arbitrium. Atqui Lutherus & Calvinus eatenus negabant hominem lapsum esse liberi arbitrii, quatenus volebant hominem lapsum immunem esse à simplici necessitate, & volebant esse immunem tantum à coactione circa bonum & malum, utpotè ad bonum à gratia præveniente, quando bene agit, & ad malum à concupiscentia, quando male agit, prædeterminatum. Ergo Synodus his locis homini lapso attribuit immunitatem à simplici necessitate, & consequenter libertatem indifferentiæ circa bonum & malum. Major hujus argumenti evidens est evidentia facti. Minor verò constat pro Luthero, ex libro de servo arbitrio; pro Calvino, ex lib. 2. instit. c. 3. & ex lib. 2. contra Pighium, verbis aliis jam relatis.

Porrò cum Synodo Tridentina citari etiam potest Constantiensis in condemnatione articulorum Vvicleffi, qui ante Jansenium homini lapso attribuit liberum arbitrium nomine tenus, volens scilicet ad rationem liberi arbitrii sufficere solam immunitatem à coactione, & ita in homine manere libertatem arbitrii circa bonum & malum cum antecedenti necessitate, sed simplici, modò bonum, modò malum operandi, ut constat ex Thoma Valdensi lib. 1. doctrinalis fidei art. 1. c. 22. & 23. In hoc tamen inter se discrepant Vvicleffus & Jansenius, quod hic necessitatem illam cum Luthero & Calvino à delectatione cœlesti & terrena repetat, ille verò repeteret à præscientia divina.

*Prob. Denique ratione Theologica.* Homo in hoc statu nature lapsæ potest mereri & demereri, & re ipsa meretur bene agendo propter Deum, & male agendo demeretur, ut fides docet, & farentur adversarii. Atqui sine libertate indifferentiæ homo neque mereri potest bene agendo, neque male agendo demereri, ut accuratè probatum est art. præcedenti. Ergo, &c.

## ARTICULUS IX.

### Solvuntur objectiones.

**O**bj. 1. Liberum hominis arbitrium læsum fuit per peccatum primi parentis. Ergo homo non habet liberum arbitrium in statu nature lapsæ. R. n. conf. Aliud enim est liberum hominis arbitrium læsum esse, & aliud fuisse extinctum per peccatum Adami. Liberum igitur hominis arbitrium per peccatum Adæ viribus attenuatum & inclinatum fuisse confirmatur cum Trid. Sess. c. 1. At cum eodem eadem sess. can. 5. negamus amissum & extinctum esse, & contrarium sentientibus anathema dicimus. Porrò liberum hominis arbitrium læsum est per peccatum Adæ, non quia per hoc peccatum voluntas hominis physicè mutata, vel diminuta est; est enim ipsa animæ rationalis substantia, quæ nec mutari potest, nec minui

minui physicè; neque etiam præcisè quia per hoc peccatum voluntas hominis spoliata est dono iustitiæ originalis, & speciali illa providentia, quæ sic regebat hominem, ut in potestate sua haberet omnes tum corporis tum animi morus; sed quia, postquam Adamus peccavit, & in Adamo peccante omnes, qui per viam naturalem ab eo descendimus, velut in morali omnium capite peccavimus, propter ignorantiam, vitium corporis temperamentum, & ferè continuos effrenis concupiscentiæ insultus, aliæque externa ad bonum impedimenta, & irritamenta ad malum, sic voluntas nostra fastidit, quod bonum est & honestum, & ita propender in malum, ut ad nihil salutare valeat assurgere sine auxilio actualis gratiæ, & quidem potentioris, quàm indiguerit, & habuerit in statu innocentie: imò ut sine speciali assistentia non valeat ad multos actus honestos, etiam ordinis naturalis, ad quos cum ordinatio Dei concursu valuisset in statu naturæ innocentis, vel etiam in statu naturæ puræ, nempe ad actus naturales arduos, aut etiam faciles, constanter exercendos.

*Obj. 2.* illud Hier. cap. 10. *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri ut ambulet, & dirigat gressus suos.* R. Scripturam ita loqui, quia, quantumvis homo maturè deliberet & proponat, successus rei non est ita in ejus potestate, ut non possit impediri multis variisque modis, ut ostendit quotidiana experientia. Inde tamen nihil concludi potest contra libertatem hominis. Hic enim duo distinguenda sunt, electio scilicet & executio. Ad libertatem indifferentiæ libera electio requiritur, non item libera executio. Homo autem liberam habet electionem, licet non semper habeat liberam executionem; quia à Deo, imò & sæpè à creaturis impediri potest, & impeditur ab executione eorum, quæ liberè elegit & decrevit.

*Obj. 3.* illud Iſaiæ c. 26. *Domine... omnia opera nostra operatus es nobis.* R. Deum operari quidem omnia opera nostra nobis, sed non sine nobis ex propria determinatione operantibus. Itaque hoc loco Scriptura dicit tantum, quod nihil operemur, nisi cum Deo nobiscum operante; at hoc non est contra rationem libertatis, pro qua hic pugnamus. Nam non dicimur habere libertatem indifferentiæ, quia possumus operari sine Deo, sive quia non indigemus auxilio & cooperatione Dei; sed quia, Deo ad nobiscum operandum parato, possumus operari vel non operari, hoc vel illud operari pro arbitrio, possumus hoc eligere vel non eligere: sicut dicimur liberè videre, non quia possumus videre sine lumine; sed quia possumus, præsentem luminem, ad hoc objectum oculos convertere vel non convertere pro arbitrio, pro arbitrio ad hoc vel illud objectum oculos intendere. Itaque sicut necessitas luminis ad videndum non facit, ne possumus liberè videre, & cum videmus, liberè videamus; sed tantum ne, absente lumine, completam habeamus potentiam ad liberè videndum; ita necessitas auxilii divini non facit, ne possumus liberè operari, & cum operamur, liberè operemur; sed tantum ne, absente auxilio divino, completam habeamus potentiam ad liberè operandum. Item sicut præsentia luminis non destruit, sed complet potentiam liberè videndi; ita præsentia auxilii divini non tollit, sed complet potentiam liberè operandi. Denique sicut lumen ita cooperatur nobis ad visionem nostram, ut videamus, quia volumus, & absque ulla necessitate volumus videre; ita divinum auxilium nobis ad actionem nostram cooperatur, ut agamus, quia volumus, & ex propria determinatione volumus agere. Sic enim Deus nobis auxilium suum exhibet ad agendum, ut relinquat nobis dominium actionis nostræ, & in nostra sit potestate, hoc agere vel non agere, hoc vel illud agere.

*Obj. 4.* illud Proverb. c. 21. *Cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.* Ad hoc R. Deum inclinare posse voluntates hominum tribus modis. 1. Physicè prædeterminando. 2. Per internam suasionem, talem, ut non possit ei resisti. 3. Item per internam suasionem reputabilem, sed ita

*Simonnet Theol. Tom. 2.*

voluntati attemperatam, ut voluntas sequatur, quamvis posset etiam moraliter non sequi. Primus & secundus modus repugnant libertati indifferentiæ, sed Deus iis non utitur, saltem regulariter, in inclinandis hominum voluntatibus; & si quando utitur, tunc voluntas, ex antecedenti necessitate agens, nec laudis, nec meriti capax est. Terrio modo utitur Deus, tum in naturalibus, tum in supernaturalibus: in naturalibus quidem, immittendo cogitationes congruas ordinis naturalis, & quibus ita suadet voluntati, ut sequatur; & quanquam ita sequitur, ut posset non sequi, sequatur tamen infallibiliter, quatenus cogitationes illæ immittuntur sub directione scientiæ infallibilis: in supernaturalibus verò per actuales gratias, hoc est, per internas illustrationes & motiones indeliberatas supernaturales, quas scilicet Deus in nobis sine nobis, moraliter cooperantibus, ineffabiliter operatur, & quibus ita excitatur voluntas, ut consentiat; & quanquam ita consentit, ut posset non consentire, consentiat tamen infallibiliter, quatenus excitatur, quomodo Deus, cuius scientia falli non potest, novit ei congruere, ut consentiat; ut fusiùs dicetur in tract. de Gratia.

*Obj. 5.* illud Psal. 118. *Inclina cor meum in testimonium tuum.* R. hunc textum, & alios similes, non aliud probare, quàm necessitatem interioris gratiæ ad servanda mandata divina; quod verum est. Nullatenus autem probant, hominem liberum non esse circa mandata divina libertate indifferentiæ. Et verò Deus sic voluntates nostras inclinat ad mandatorum observationem, ut liberam nobis relinquat potestatem sequendi vel non sequendi inclinationem illam, ut liberam nobis relinquat potestatem consentiendi vel non consentiendi gratiæ interiori, qua nos ad mandata servanda inclinat.

*Obj. 6.* illud Apostoli ad Rom. cap. 7. *Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio.* Item illud 2. ad Timoth. cap. 2. dictum de impiis, & incredulis, *Et respiciant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Item illud Christi Matth. c. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Præterea, variis Scripturæ locis peccatores dicuntur mortui.

R. ad 1. Apostolum loqui de motibus concupiscentiæ non liberis, & voluntate omnino reluctante, contra rationem insurgentibus, nec proinde ad peccatum imputabilibus.

R. ad 2. Impios & incredulos, propter suam impietatem & incredulitatem, ita demoni subiectos esse, ut ei liberè obsequantur, ut possint non obsequi, & aliquando non obsequantur. Impii & increduli dicuntur esse captivi demonis, non quia ab illo necessitantur, sed quia faciliùs inducuntur ad malum propter voluntariam suam cæcitatem, & prævoshabitus, quibus in malum propendunt: atque insuper demon à Deo permittitur in illos magis favere, quàm in pios, & credentes.

R. ad 3. Arborem malam, quàm malam, hoc est, hominem malum, quàm malum, non posse nisi malos fructus seu mala opera facere. At homo malus liberè malus est, & quia vult; est enim malus per actiones sibi liberas, & cum adiutorio divinæ gratiæ posset esse arbor bona, & bonos fructus facere, si vellet. Similiter arbor bona, quàm bona, hoc est, homo bonus, quàm bonus, non potest malos fructus seu mala opera facere. At homo bonus liberè bonus est, & arbor bona; & dissentiendo gratiæ, quod potest, posset esse & esset arbor mala, & quàm talis posset facere & faceret malos fructus, seu mala opera.

R. ad 4. Peccatores sic per peccatum amittere vitam gratiæ, ut reneant vitam naturæ, & consequenter libertatem indifferentiæ, quæ à vita naturæ separari non potest. Præterea, quamvis non possint facere opera vitæ æternæ meritoria, quia ejusmodi opera supponunt vitam gratiæ; nec, si à Deo deserantur, vitam gratiæ recuperare, aut ad eam recuperandam sese comparare, quia ad neutrum sola vita naturæ sufficit;

Z 4 multa

multa adhuc possunt velle vel non velle, & ex multis hoc vel illud velle, imò & aspirante divina gratia, mandata divina liberè servare, tentationes liberè vincere, & Deo illos ad vitam gratiæ revocanti, liberè cooperari, quia ad hanc liberam cooperationem sufficit vita naturæ cum adiutorio interioris gratiæ.

*Obj. 7.* Conc. Araus. 2. can. 13. ubi sic ait: *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi.* Et Can. 22. ubi dicit, *neminem habere de suo, nisi mendacium & peccatum.* R. ad 1. Concilium loqui de libero arbitrio, non præcisè ut est facultas naturalis, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere vel non agere; sed ut est potentia instructa iis omnibus, quæ connaturaliter necessaria sunt ad operandum supernaturaliter, & sicut oportet ad salutem, & quæ primum restituntur nobis in prima justificatione, quæ fit per baptismum vel in re vel saltem in voto susceptum, Deo infundente gratiam sanctificantem, & conferente alia dona seu alios habitus supernaturales, cum iure ad actuales gratias, pro loco, & tempore accipiendas, & ad agendam vitam christianam necessarias.

R. ad 2. juxta mentem Concilii, hominem, quantum ad æternam salutem attinet, non habere de suo, nisi mendacium & peccatum, hoc est, non posse de suo, nisi demereri; quia sine adiutorio gratiæ divinæ nihil potest operari, quod sit ex omni parte bonum, & aliquo modo ad salutem consequendam conferre possit. Unde si homo solis naturæ viribus relinqueretur, non aliud potest in ordine ad salutem, quam peccare, & ita non aliud potest in ordine ad salutem, quam demereri. Hoc autem damnat quidem Semipelagianos, qui adittebant quædam salutis initia, ex solis naturæ viribus profecta: at ne leviter quidem perstringit libertatem indifferentiæ, quam homini lapsi attribuiamus circa bonum & malum, sic ut nolumus eam ad bonum faciendum, vel malum vitandum salutariter, valere posse sine adiutorio gratiæ interioris, voluntatem prevenientis, excitantis & corroborantis.

## DISPUTATIO IV.

De mente & doctrina S. Augustini circa liberum arbitrium hominis in statu naturæ lapsæ.

### ARTICULUS I.

Utrum S. Augustinus docuerit in homine, etiam post Adami peccatum, manere liberum arbitrium.

#### RESPONSIO.

S. Augustinus docuit in homine, etiam post lapsum Adami, liberum arbitrium existere. Est contra Lutherum & Calvinum, qui gloriantur se duces habere S. Augustinum in negando hominis lapsi libero arbitrio.

*Prob. 1.* Nam 1. S. Doctor sic loquitur in lib. de quantitate animæ c. 36. *Datum est animæ liberum arbitrium, quod qui nugatoriis ratiocinationibus labefactare conantur, usque adeo cæci sunt, ut ne ipsa quidem vana atque sacrilega propria voluntate se dicere intelligant.* 2. In lib. de vera religione c. 14. sic ait: *Quoniam peccari non dubium est, ne hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium.* 3. Lib. 2. Actorum cum Felice Manichæo c. 3. his verbis hæreticum illum urget: *Esse liberum arbitrium, & inde peccare quemque si velit, non peccare si nolit, non solum in divinis Scripturis, quas non intelligis, sed etiam in verbis ipsius Manichæi tibi probō.* 4. Tres libros pro libero arbitrio contra Manichæos scripsit, in quorum secundo cap. 1. hæc habet: *Illud bonum, quo commendatur ipsa iustitia in damnandis peccatis, reliquæ factis honorandis, quomodo esset, si*

*homo careret libero voluntatis arbitrio?* 5. Exorta jam dudum Pelagiana hæresis, liberum de gratia & lib. arb. scripsit contra Monachos quosdam Aduamentini Monasterii, qui, ut gratiam Dei assererent, liberum arbitrium negabant. *Quoniam, inquit S. Doctor cap. 1. sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium, hinc aliquid scribere ad vestram charitatem, Valentine frater. & ceteri, qui simul Deo servitis, compellente mutua charitate, curavi.* In hoc autem libro apertè & simpliciter conficitur liberum arbitrium c. 2. ubi dicit: *Revelavit (Deus) per Scripturas suas sanctas esse in homine liberum voluntatis arbitrium.* Quod deinde eod. cap. ex professo probat, allegando ea Scripturæ loca, quibus continentur præcepta divina, & ea, quibus continentur admonitiones & adhortationes: tum ita ratiocinatur: *Ubi dicitur: Noli hoc, & noli illud; & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Vide etiam lib. 2. de nuptiis c. 3. lib. 4. contra Julianum c. 8. & lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. 2.

*Obj. S. Augustinus in Enchiridio c. 30. docet expressè liberum hominis arbitrium per Adami peccatum prorsus extinctum fuisse, Libero, inquit, arbitrio male utens homo, & se perdidit & ipsum ... cum libero peccaretur arbitrio vitio peccato, amissum est & liberum arbitrium.* Ergo, &c. R. negando ant. Itaque juxta mentem S. Doctoris, primus homo peccando perdidit liberum arbitrium, non illud penitus extinguendo, sed deterius efficiendo; sicut pater filium, aut dominus servum perdere dicitur, ut rectè observat Bellarminus noster, quando cum nimia sua facilitate flagitiosum fieri sinit. Patet ex ipso textu citato: nam S. Doctor dicit, quod homo se ipsum perdidit & liberum arbitrium; quo modo loquendi apertè significat hominem non aliter perdidisse liberum arbitrium quam se ipsum perdidit. Sed primus homo per peccatum se perdidit, non perimendo, sed deterius efficiendo: per peccatum se perdidit, non quantum ab substantiam, sed quantum ad dona accidentalitatem, quibus in creatione exornatus fuerat à conditore. Ergo similiter perdidit liberum arbitrium, non illud perimendo & penitus extinguendo, sed infirmando & vulnerando: perdidit, non quantum ad substantiam, sed quantum ad singulares illas prerogativas, quibus præfulgebat in statu innocentie. Primus itaque homo, juxta S. Augustinum, peccando perdidit liberum arbitrium, non quantum ad facultatem agendi vel non agendi, positis omnibus ad agendum prærequisitis, sed quantum ad multa privilegia, naturæ superaddita, quibus poriebat, antequam peccaret, & peccando spoliaretur iustitia originali, & dono integritatis. Quod ut plenius intelligas, & mentem S. Doctoris assequaris,

*Observ. 1.* Primus homo peccando amisit liberum arbitrium, quantum ad facultatem carenti omni peccato, & necessitate moriendi. Primus homo ita à Deo conditus est, ut posset, si vellet, vitare omnia peccata, non solum mortalia, sed etiam venialia, non solum distributivè, sed etiam collectivè sumpta; item posset, si vellet, numquam mori: at postquam præceptum de non comedendo certo fructu transgressus est, jam non potest, etiam post acceptam justificationis gratiam, vitare longo aliquo tempore sine speciali privilegio totam collectionem peccatorum saltem venialium, atque insuper necessitati moriendi subiacet. Hoc dicit S. Doctor lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. 2. *Quis nostrum dicat, inquit, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem perierit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam.*

2. Quod eodem ferè redit, primus homo peccando amisit liberum arbitrium, quantum ad facultatem carenti omni ignorantia, motibus inordinatis con-